

Div. Lib.

BS

2421

Z8P6

Piperi P

De externa vitae Jesu
chronologia recte con-
stituenda.



The University of Chicago
Libraries



HENGSTENBERG COLLECTION

of Chicago-

8



LECTION

Spencer Professor
Dr. Spring Building

Spencer
Dr.

D E
EXTERNA
VITAE JESU CHRONOLOGIA
RECTE CONSTITUENDA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
SUMME VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
PRO
LICENTIATI IN SACRO-SANCTA THEOLOGIA GRADU
RITE OBTINENDO
DIE XX. JUNII MDCCCXXXV. HORA X.
PUBLICE DEFENDET
FERDINANDUS PIPER.

225.922

OPPONENTIUM PARTES TUEBUNTUR: Hengstenberg Collec
AUG. GUIL. HOLZHAUSEN, THEOL. LIC.
ERN. LUD. A LEUTSCH, PH. DR. ET ASSESS. ORD. PHILOS.
EX ORDINIS S. V. VOTO:
FRID. GUIL. RETTBERG, THEOL. LIC. EJUSQUE PROF. P. E.

GOTTINGAE,
TYPIS HUTHIANIS.

BS 2421

.Z8 Pg

VIRO REVERENDISSIMO ET DOCTISSIMO
FRIDER. BERNHARDO DROYSEN,

**S. S. THEOL. DOCTORI, SUPERINTENDENTI ET PRAESIDI
CONSISTORII ECCLES. STRALSUNDENSIS, PASTORI AD AEDEM
S. NICOLAI. ETC.**

NEC NON

VIRO AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO
ARNOLDO BRANDENBURG,

**JURIS UTRIVSQUE DOCTORI,
CIVITATIS STRALSUNDENSIS SYNDICO, DIRECTORI CONSISTORII
ECCLES. ETC.**

GRATUM ANIMUM TESTIFICATURUS

D. D. D.

A U C T O R.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY

PHYSICAL CHEMISTRY
BY
RICHARD M. MAYER

1957

Secundum eam, quae hodie valet, theologiae partitionem et disciplinarum theologiarum constitutionem, historia ecclesiastica a Jesu apostolorumque vita exorditur: et merito, si omnino partitio illa probatur. Etenim cum alter fundamentum, alteri autem conditores ecclesiae sint; ecclesiae historia, nisi ipsa fundamento carere vult, res illas ut ita dicam originales spectare complectique debet. Ita Neanderus Christianae religionis et ecclesiae historiae suae ut supplementum aevi apostolici descriptionem subiecit; quo facto haec etiam exstat voluntas communis, ut ei placeat vitam Jesu narrando substructiones magni operis sui perficere.

Vita Jesu autem etsi divinam essentiam manifestat, tamen a rerum humanarum forma non discedit, quatenus intra spatium apparet et in tempore progreditur. Quodsi illam manifestationem in universa ejus vita ob oculos ponere historici summus finis est; tamen humanae illius formae expositio deesse non debet: immo ad finem ipsum assequendum requiritur tanquam linum, in quo divinitatis imago delineatur. Itaque ad praeparandam historiam Jesu in ordinem vitae ipsius, quomodo ea in tempore et spatio disposita fuerit, inquirendum

est. Haec autem quaestio, vitam Jesu in tempore definiendi chronologiae sacrae proponitur, quae cum ipsa historiae sacrae subdita sit; ita singularis illius quaestionis locus generalis definitur.

Quaestio illa etiam bifariam dividitur, ita ut chronologia vitae Jesu tum interna tum externa existat. Illa quidem ordinem singularum rerum a Jesu gestarum explorat easque ad terminos hujus vitae referendo figit. Haec ipsos illos vitae terminos, id est nativitatem et mortem, sive quae alia momenta satis eminentia apta videntur, ut epochas ad historiae universalis eventus referendo cum iisque nectendo constituit itaque vitae Jesu in temporum serie locum definit.

Jam de externa vitae Jesu chronologia aliquot verba facturi in eamque quasi introductionem proposituri, primum hujus disciplinae momentum, tum methodum, denique argumenti dispositionem exponemus.

I.

Disquisitio de veris vitae terrestri Jesu terminis multorum virorum doctorum ingenia inde a literarum restitutione usque ad nostra tempora exercuit: è diversis rationibus suscepta, vario modo instituta, impari eventu peracta est; denique autem tot studiis recentissimis temporibus certe quoad anni natalis definitionem faustus eventus videtur impositus esse. E diversis rationibus suscepta est: alii enim theologicum, alii historicum sive chronologicum finem secuti huic argumento animum adverterunt; quanquam omnibus a scriptura sacra exeundum erat. Sed hoc quoque respectu diversa fuerunt studia: alii enim ad scripturae sacrae auctoritatem tuendam, alii ad

ipsam evertendam locum illum tractaverunt. Quaerentibus autem, quae justa atque literato nec non Christiano homine digna suscipiendae illius disquisitionis ratio sit; plures quidem esse respondebimus, summam autem theologiam. Atque prima quidem, ut a scriptura sacra exordiamur, est exegetica. Cum enim pluribus evangeliorum locis tum de natiuitate tum de morte Jesu sermo fiat atque haec momenta cum historiae universalis quibusdam rebus gestis connectantur; interpreti, qui non verba tantum, sed sensum, deinde theologo, qui non sensum scriptoris tantum, sed historiam sacram spectat, propositum est, locos illos inter se comparare, allato apparatu historico illustrare atque eventuum ordinem constituere. Sed parum foret, si res nonnisi ad doctam exegetin pertineret; major ejus ambitus est, quippe quae praeter theologiam historicam vel systematicae adscripta sit. Hic enim omnino theologiae finis est, ut vita Jesu terrestris non modo secundum singulas res gestas disponatur atque finibus suis circumscribatur; sed revera intelligatur. Atqui ut quaeque res gesta revera intelligi nequit, nisi ejus connexus cum rebus cognatis, aequalibus nec non praecedentibus et sequentibus consideratur, et sicut cujusque hominis vita nonnisi e toto ipsius aevo ac proinde e tempore praeterito et futuro cognosci potest, idque eo magis, quo insigniori loco ille collocatus fuit: ita huic legi etiam vita Jesu est subdita, quippe quae minime subito et abrupte, quae e. c. Marcionis sententia fuit, evenerit; sed a rerum humanarum exordio praeparata atque ita in humani generis centro posita sit, ut rerum praecedentium finis, sequentium autem fundamentum exstet, id quod Jesus ipse ita exprimit: οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πλη-

ρῶσαι ¹⁾ et: ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεωγῶτα καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ²⁾. Quodsi historiae sacrae atque theologiae dogmaticae, quae hoc loco proxime cohaerent, propositum est, haec verba ex ipsis rebus gestis probare atque consilium illud ex historia demonstrare; quanti sit, apparet, ut teneatur, quo loco historiae universali vita Jesu inserenda sit, quibus ea temporis finibus coerceatur.

Sed facile aliquis objiciet, illam vitae Jesu vim posse cognosci, etiamsi ejus vitae terminos haud accurate sciamus: immo ad hunc intellectum nihil facere, utrum Jesus aliquot annis, adeo fortasse tota aetate prius an serius degerit. Cui adversario id quidem concedemus, universale illud vitae Jesu momentum propter ejus magnitudinem et gravitatem omnia superantem posse cognosci, etiamsi hujus vitae terminos non accurate compertos habeamus; atque si eos accurate compertos habeamus, nos fortasse id assequi non posse, ut cur illo ipso anno Jesus vel natus vel passus sit, nec alio vicino demonstramus. Nihilominus hac exceptione propositi nostri momentum non tangitur. Primum enim unusquisque sensu historico vel minimo praeditus confitebitur, fieri nullo modo potuisse, ut vita Jesu alium locum vel aevum obtineret atque Jesus fortasse aliquot annis prius aut serius degeret; verum hanc vitam intra fines suos necessario modo constitutam esse, etsi nos hanc necessitatem nondum demonstrare aut tantum cognoscere possimus. Id quod per scripturam sacram confirmatur.

1) Matth. V, 17.

2) Jo. I, 52.

Etenim Paulus apostolus ait 1): *ὅτε δὲ ἤλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ*. Itaque hoc ipso momento. Num fortasse illud *πλήρωμα* etiam decennio ante vel post Christum natum exstitit? Minime! Atque diserte Joannes de hora Jesu dicit, quae nondum evenerit, et deinde quae evenerit: *ὅτι οὐπω ἐλήλυθεν ἡ ὥρα αὐτοῦ* 2) et: *εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἐλήλυθεν αὐτοῦ ἡ ὥρα* 3), — qui distinctus sermo exceptionem ullam non admittit. Tum autem quid hoc ad rem, quod nunc quidem illius horae necessitatem cognoscere nondum possumus? Quod nunc nondum possumus, olim poterimus. At mali administratoris est, idcirco ea quoque omittere, quae nunc jam a nobis praestari possunt. Insuper autem ne verum quidem est, nos ordinem salutis, id est rationem praedestinati ejus temporis prorsus ignorare. Unum tantum afferam. Antiquitatis Christianae scriptores unanimiter affirmant, Jesum esse natum quo tempore in universo orbi Romano pax obtinuerit 4). Quod, si verum est, haud fortuito accidisse statuemus, sed divino consilio, quatenus consentaneum erat, pacificationem orbis Romani ejus adventum anteire, qui universum orbem pacificaturus erat: — quae sententia jam gentilium majorum nostrorum ritibus expressa est, Herthi deae praesentiam ut multa cum veneratione, ita pace

1) Galat. IV, 4.

2) Jo. VII, 30. VIII, 20.

3) Jo. XIII, 1. conf. XII, 23.

4) Vid. Sanclementii de vulgari aerae emendatione. Romae: 1793. fol. lib. IV. c. 1. p. 397. col. 1 sqq. conf. c. 7. p. 449. col. 2.

quieteque prosequentium ¹⁾. Illam autem traditionem examinare non possumus, nisi antea cum de historia illius temporis, tum de tempore, quo Jesus natus est, atque certe de ipso anno natali nobis constat. Jam cum accuratae disquisitionis hic finis sit, ut Jesum anno Varr. DCCXLVII. a. u. natum esse statuatur, in toto orbe Romano autem medio anno praecedenti DCCXLVI. pax restituta sit; traditio illa, secundum quam Jesus pacato orbe Romano natus est, non modo confirmatur, sed etiam statim postquam pax ei illuxit, incarnationem evenisse percipimus.

Haec quidem suscipiendae hujus disquisitionis ratio theologica est. Accedit altera maximi momenti historica seu chronologica, quam cum per se intelligatur, paucis tantum notare licebit. Quippe cuncti populi Christiani epocham annorum suorum nativitatem Jesu habent i. e. annorum suorum seriem inde ab anno Jesu natalicio exordiuntur. Quaeritur, num exordium illud recte constitutum, i. e. num Jesus revera anno illo natus sit, a quo aera Christiana initium sumit: quod si negatur, quaeritur, quot annis aera vulgaris a vero cardine aberraverit. Quaecumque hujus problematis solutio est, de aera nostra etiamnunc mutanda et ad verum annum Jesu natalem revocanda quidem nullo modo cogitari debet: quare in publicum et communem usum ex illa disquisitione

1) Conf. Tacit. German. c. 40. *In commune Herthum, id est terram matrem colunt . . . Laeti tunc dies, festa loca, quaecumque adventu hospitioque dignatur. non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat.*

nihil commodi redundat; — at disciplinae chronologicae maxime refert, indubiam illius quaestionis responsionem invenire.

Itaque universa haec res theoriam tantum, non vitam spectare videtur. Id verum quidem quoad chronologiam. Sed alia theologiae res est. Etenim in hac praecipue doctrina et vita non se junctae sunt, immo arte cohaerent, ita ut quaecunque res momenti vere theologi est, ex ea etiam vita non possit non fructum capere. Id quidem, quatenus argumentum nostrum spectat, jam demonstrant quae supra exposuimus. Nam vitae Jesu intellectus, cui temporis natalicii et supremi definitio inservit, non theologiae solum interest, — quippe quo omnino vita Christiana nitatur. Quibus ex supra notatis jam prodeuntibus hic modo rationem addam, quae ipsum sensum communem et proxime animi affectus sine ullis doctrinae theologiae subsidiis spectat. Nostra enim refert, quem hominem diligimus, ejus annum diemque natalem tenere; maxime autem, si jam obiit, vitae ipsius fines, quibus accurate circumscripta est, indagamus. Quod cum in universum valeat, praesertim de Jesu dicendum erit. Atque si universa ecclesia Christiana quotannis festum agit diem Jesu tum supremum, id quod a primordiis ecclesiae, tum natalem, id quod inde a seculo quarto factum est; quid dicamus, quod in tali celebratione vel annus natalis et supremus ignoratur? Sed quod saepius factum est, ut virorum de genere humano maxime meritorum res gestae minime memoriae traditae sint eorumque historia lateat; idem etiam de puerili et juvenili Jesu aetate sicut de temporis momento, quo passus est, accidit. Nihilominus tamen de nativitate et passionis tempore in apostolorum memorabilibus annotata

quaedam feliciter nobis restant, quae certe fundamentum praebent ad quaestionem, quando epochae illae evenerint, viris eruditis proponendam.

Atque haec hactenus exposita argumenti illius tractandi rationes satis graves habenda sunt. Quibus hoc ipso tempore etiam id accedit, quod quae ex quinquaginta fere annis in hac re a chronologis et mathematicis subtiliter et feliciter indagata sunt, nondum satis ut decet et optare licet, in theologiae usum conversa esse et in communem vitam transiisse videntur.

II.

Modus instituendae hujus disquisitionis et lex, qua faustus ejus eventus pendet, non alia sunt, nisi quibus omnes disquisitiones chronologicae nituntur. Haec autem universa earum ratio est. Mutationes in rerum natura sicut res ab hominibus gestae ut deinceps eveniunt, ita ex hominum memoria usque ad praesentiam seriem longam efficiunt, cujus membra secundum motus coelestes regularios distinguuntur et rebus in terra gestis significantur et implentur. De qua serie si omnino constat, quandoquidem universa historia ejus testis est; singula quaedam res quo tempore evenerit ita definitur, ut quae ratio inter eam et totam illam seriem intercedat, i. e. quo loco ipsa illi seriei inserenda sit, exploretur. Ad hoc autem exsequendum opus est, primum, ut de eventu illo nuntius satis firmus nobis tradatur, deinde ut momenta addantur, quibus ille eventus cum ceteris rebus humanis, de quibus jam constat, cohaeret, ut in earum ordine quasi intercalari possit. Exoptatum autem est, si plura ejusmodi

momenta adsunt, quorum singulum quodque jam illius nexus notitiam exhibet: ut comparatis inter se quae ex variis momentis prodeunt, alterum ad alterum examinari possit et disquisitionis summa eo firmiter existat. Atqui omnino duplici modo nexus ille constitui potest: altero, si quaedam res, de cuius tempore quaestio est, cum alia re hominum voluntate acta coniungitur, cuius tempus per traditionem aut jam constat aut e documentis historicis erui potest; altero, si talis res cum eventu quodam coniungitur, quod ex necessariis et immutabilibus naturae legibus prodiit et cuius tempus per calculum accurate definiri potest. Itaque methodus chronologica est aut historica aut astronomica; quarum altera, astronomica longe maiorem fidem habet, quandoquidem quae in motibus coelestibus apparuerunt ulli dubitationi non subiectae sunt, quippe quorum ordo etiam nunc restitui possit.

E generali hac norma jam apparet, quibus legibus proposita disquisitio circumscripta sit.

A. Primum enim nuntius fide dignus de nativitate et morte Jesu requiritur; de quibus cum solummodo in evangeliiis sermo fiat, primum scire oportet, non fabulas, sed res vere gestas ibi proponi, quibus iusta fides haberi possit. Quae si denegatur, totum institutum in cassum erit; et nihilominus in epochas illas inquirentes oleum et operam perdiderint. Atqui de evangeliorum auctoritate quaestionem movere etsi huius loci non sit; tamen paucis momenta indicabimus, quibus tota res pendere nobis videtur.

Primum autem omnino natum et mortuum esse Jesum evangelia narrant: quod revera evenisse haud quisquam infitias ibit, etsi homunciones quidam illam mortem non veram

fuisse sibi persuadent. Itaque tantum de singulis rebus epochas illas comitantibus atque de fide narrationum evangelicarum res amplificantium quaestio est. Jam id quidem concedemus, hanc fidem non ejusmodi esse, ut omnis erroris suspicio ab initio praecludenda sit. Etenim si inspirationem non ad verba sed ad sensum, deinde in sensu non ad mentem, sed ad animum pertinere, i. e. ad ea tantum pertinere, quae ad salutem spectant, — quod si statuimus, non poterimus quin concedamus, potuisse fieri, ut scriptores sacri, quamvis inspirati, in narrationibus illis, praesertim in rebus chronologicis errores commiserint. Attamen haec concessio, quae plurimis accepta erit, plus quam vulgo fit, cohiberi debet. Nam salus non e doctrina, sed e tota vita Jesu pendet. Quodsi singulas circumstantias in rebus narratis non accurate traditas esse invenientes nos id quidem non offendet; tamen si universae narrationes prorsus fictitiae in scriptura sacra invenirentur, talis corruptio sine salutis damno locum habere non posset: itaque talis corruptio ne statuatur, inspirationis lege vetitum est. Certe si N. T. ita fabulis sive mythis (nomen diversum, res eadem) esset refertum, ut theologi haud pauci opinantur; liber ita inauguratus mihi quidem valde suspectus foret atque ceteris ejusdem narrationibus haud multam fidem habere possem. His in universum praemonitis si in singulis de rei cujusdam in evangeliiis traditae fide dubitatur et quaestio proponitur, qua via fides examinanda et de dubitatione illa decernendum sit, triplex ratio succurret.

I. Atque primo consideranda est indoles rei narratae, non quidem utrum ea praecoccupatis hominum opinionibus satisfaciat, an minus: nam e praepudicio qualicunque de historia

evangelica non est statuendum; sed ex ipsius mente: — itaque considerandum est, utrum res tradita cum mente evangelica, quae in universo N. T. habitat, conveniat an minus, i. e. num canonica (sensu dogmatico, non historico) sit. Quaecumque enim narratio a mente illa deflectit, apocrypha habenda est. Jam hoc respectu equidem in omnibus evangelicis nihil invenio, cui apocryphi nota merito inuri possit atque insignis hic fructus ex evangeliorum apocryphorum comparatione hauriri potest, ut ingens inde discrimen constituitur, quod inter apostolorum memorabilia et libros illos spurios obtinet. Sic narrationes de nativitate et morte Jesu simplicitate et sobrietate insignitae et omnino mente evangelica consignatae sunt: — proinde etiam in narratione de Magis eorumque stella apocryphum quidquam non inest, et damnata omni arte astrologica, cui refutandae cum in universum, tum in enarranda hac historia evangelica, ne ea mathematici in adjutorium erroris sui uterentur, multi scriptores ecclesiastici operam dederunt¹⁾, universa res bene intelligi potest, dummodo a recto gratiae et rerum naturae intuitu proficiscamur. Alia res est solis defectus, quem in morte Jesu evenisse evangelia synoptica tradunt, si is pro astronomico habetur. Cum enim pascha in plenilunio celebraretur, eclipsis autem solis duntaxat novilunii tempore existere possit; defectus ille eclipsis astronomica fuisse nequit, nisi omnipotentia divina intercedente plenilunium in novilunium mutatum erat. Et fuere, qui tale miraculum obtinuisse contenderent, — cum Dionysius Areopagita adeo se ipsum cum Apollophane illam in

1) Vid. Thilo, Progr. in sacris Chr. natal. Halae, 1834. 4. p. 14 — 17.

lunae cursu mutationem conspexisse testetur ¹⁾: cui testimonio calculum adjicit Ricciolius ²⁾, astronomus. Scilicet tale miraculum foret mirum portentum atque numine divino, ut affirmare licet, haud dignum. At nusquam in evangeliiis ipsis tale quidquam indicatur, sed simpliciter de solis defectu sermo est, qui etsi haud fortuitum accidit, tamen pluribus causis plane naturalibus potuit effici ³⁾. Ita indoles evangeliorum ut vere canonica ubique sibi constat.

2. Deinde instituenda est comparatio inter ejusdem rei varias narrationes et perscrutandum, num diversorum evangeliorum narrationes inter se discrepent an conveniant. Quae si conveniunt, consensus argumentum veritatis est. Cum enim evangelia canonica, si Marcum exceperis (quantum equidem intelligo) neque e se invicem pendeant neque se invicem respiciant, eorum consensus eo majoris momenti est neque dubitationem ullam admittit. Ita quoque quae a Matthaeo et

1) Dionys. Areopag. ep. VII. ad Polycarp. §. 2. Opp. ed. Venet. t. I. p. 599. a.: *εἰπέ δὲ αὐτῷ· τί λέγεις περὶ τῆς ἐν τῷ σωτηρίου σταυροῦ γεγονυίας ἐκλείψεως; ἀμφοτέρω γὰρ τότε κατὰ Ἡλιούπολιν ἅμα παρόντε τε καὶ συνεστώτε παραδόξως τῷ ἡλίῳ τὴν σελήνην ἐμπέπτουσαν ἐωρῶμεν (οὐ γὰρ ἦν συνόδου καιρός) αὐθις τε αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐναντίας ὥρας ἄχρι τῆς ἐσπέρας εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικαταστάσαν.* Conf. Petr. Halloix Vit. Dionys. Areop. c. 1. not. 7. in Dionys. Opp. ed. Venet. t. II. p. *82 — *85.

2) Almagestum novum. Bonon. 1651. fol. T. I. P. I. Lib. V. c. 18. p. 358 — 361.

3) Conf. Wurm. Astronom. Beiträge zur genäherten Bestimmung des Geburts- u. Todesjahres Jesu. c. IV. §. 36. 37. in Bengel's Archiv. Tübingen, 1818. vol. II. fasc. 2. p. 306 — 311.

Luca de nativitate Jesu referuntur, quamvis videantur discrepantia, tamen, dummodo accuratius inquiratur, bene cohaerentia seque invicem supplentia reperiuntur et praesertim e variis eorum narrationibus idem annus Jesu natalis consequitur: — unde huic evangelicae historiae parti tantopere concertatae haud parva auctoritas accrescit.

3. Denique instituenda est comparatio inter diversas res, quae singulae e documentis evangelicis probatae repertae sunt, et perscrutandum, num harum rerum compositio constet ex earumque nexu justus eventuum ordo constitui possit: praesertim quoad chronologiam, num diversae epochae inter se comparatae secum consentiant. Et certe non dissentiunt epochae nativitatis et mortis Jesu; si earum differentia cum annorum, quos Jesus in terra degit, summa comparatur: quatenus haec summa per chronologiam internam erui potest. Quae disquisitio cum ad finem prorsus certum non ducat; etiam consensus accuratus probari non potest. Sed illorum numerorum computationem certe nihil contradictionis continere affirmare licet. Id tamen non reticebo, unum esse in evangelicis locum, in quo offendatur, nimirum traditionem apud Luc. III, 1. de quinto decimo Tiberii anno, quippe quae ceteris omnibus notis chronologicis repugnare videatur. Atque haec quidem unica in his calculis est difficultas, sed ea haud parva, quamque remove non dum successit. Certe problematis solutio, quam interpretando Sanclementius dedit 1), nullo modo comprobari potest et manente difficultate quaestio illa theologis adhuc proposita est.

1) De vulgaris aerae emendat. Append. p. 520. Conf. Ideler. Handbuch der Chronologie. t. II. p. 419. 420.

B. Deinde requiritur, ut uno verbo dicam, nexus evangelicae historiae cum historia universali, ut nimirum de rebus gestis, quibus ordo temporum in historia sacra pendet, in profana historia aliquid constet, ad res in terra sacra et in reliquo orbe gestas inter se comparandas et ordinem, quo sese invicem excipiunt, constituendum. Ille autem nexus haud parva obscuritate laborat, quoniam directae traditionis vestigia admodum parce exstant et testimoniorum inopia multiplicibus conclusionibus supplenda est. Eo magis in pretio habenda sunt quaecunque antiquitatis Christianae documenta his rebus lucem afferre possunt.

Atque primum quidem in ipso N. T. chronologia vitae Jesu cum historia profana duobus locis connectitur: altero cum Jesus tempore census universalis sub Augusto natus esse, altero, cum Joannes quinto decimo Tiberii anno munus iniisse feratur. De hac nota modo jam dictum est; prior autem annum natalem definiendi argumentum praebet.

Tum apud Patres et scriptores ecclesiasticos inde ab antiquissimis, exceptis Patribus apostolicis, traditio de anno Jesu et natali et supremo exstat, qua tamen cum omni cautione tantum utendum est. Primum enim haec traditio ne sibi quidem constat, sed ab aliis alii anni tum nativitatis tum passionis Jesu referuntur. Deinde apparet, has traditiones magnam partem non originales esse, i. e. non ad ipsum Jesu aevum recedere, sed per calculum e loco quodam scripturae sacrae esse deductas: quo omnis earum auctoritas tollitur. Ita nimirum annus natalis e Lucae testimonio de XV. Tiberii anno vario modo computatus est; unde apud neminem veterum Patrum veri anni natalis memoria exstat. Ita etiam

annus supremus ex eodem fonte falso, ut videtur, deductus est apud Eusebium ¹⁾, qui Jesum duodevicesimo Tiberii anno passum esse auctor est ²⁾, et Epiphanium ³⁾, qui tamen in notis chronologicis ad annum passionis spectantibus sibi non constat. Sed his exceptis magno cum consensu apud veteres scriptores ecclesiasticos annus quidam signatur, quo Jesus passus sit: — quae traditio omni aestimatione digna est et verum passionis annum referre videtur.

Deinde illius aevi scriptores profani ipsam N. T. historiam vix tangunt et omnino res in Palaestina gestas obiter tantum memorant. Certe directo modo de epochis vitae Jesu nulla apud eos notitia exhibetur; — nisi huc retuleris Macrobiani narrationem ⁴⁾ de illo Augusti dicto, quod infanticidium respicere videtur. Sed praeterquam quod scriptor iste nimis sero vixit, — etsi relatio haec satis clara esset; tamen ea notam chronologicam non praebet. — Sed cum directa testimonia desint, non negligenda sunt quae de rebus Judaeorum et de iis, quae inter Judaeos et Romanos tum temporis acta sunt, apud scriptores illos annotata, etsi per ambages, ad chronologiam vitae Jesu illustrandam facere possunt. Quo respectu ditissimum fontem aperit Josephus Judaeus, cui cum ex ore Nicolai Damasceni Herodi Magno amicissimi scripserit atque ipse hominem accuratum se exhibeat, insignis fides

1) Chronic. Canon. lib. II. ed. Mai. Mediolan. 1818. 4. p. 370.

2) Vid. Sanelement. de vulgaris aerae emendat. Append. p. 510.

3) Haeres. LI. c. 22 — 25. p. 444 — 448.

4) Saturnal. II, 4.

debetur. Praeterea adhibendi sunt historici illorum temporum gentiles, Suetonius, Tacitus, Dio Cassius.

Qui fontes cum raro tantum fluant, eo majoris momenti sunt, quae omnino magni habenda, monumenta illius aevi: nummi, praecipue regum Judaicorum, maxime filiorum Herodis Magni, et inscriptiones; quae utraque etiam exstant et partim recentioribus temporibus detecta sunt, a Sanclementio praesertim in usum vocata, qui multum in chronologiam sacram fructum inde cepit.

In his autem nummi aliquot, qui supersunt, anno emortuali Herodis Magni definiendo eleganti modo inserviunt. Quippe constat Herodem Antipam, Herodis Magni filium, Galilaeae tetrarcham labente anno Varr. DCCXCII. a. u. a Caligula Lugdunum in exilium pulsum esse. Atqui praeter alios hujus tetrarchae nummos tres ejus nummi exstant, in quibus ΜΓ i. e. XLIII legitur. Quo numero a numero DCCXCII subtracto annus DCCXLIX. aut DCCL. invenitur, quo Antipas Herodi patri successerit: — unde sequitur, Herodem non post annum DCCL. obiisse ¹⁾. Quae dubitatio de anno DCCXLIX. aut DCCL. hic etiam remanet, aliunde tollitur, cum Herodem neque ante annum DCCL. obiisse demonstrari possit. Quae cum ita sint, illum numerum ΜΓ secundum Judaeorum morem annos non perfectos sed laben-

1) Vid. Noris. epist. ad Pagium de nummo Herodis Antipae. Opp. Noris. t. II. Veron. 1729. p. 646—665. Sanclement. de vulgaris aerae emendat. lib. IV. c. 1. p. 308. sqq. p. 315. Münter. Stern der Weisen. p. 76. 77. Ideler. Handbuch der Chronol. t. II. p. 390. 391.

tes et quidem a primo mensis Nisan numerandi computatum esse intelligitur.

Deinde duae sunt inscriptiones, quae ad censum, qui in evangelio Lucae memoratur, illustrandum faciunt. Difficultas enim in eo est, quod Lucas Quirinum nominat, quo praeside census actus sit; dum Saturninum tum temporis ordinarium Syriae praesidem fuisse aliunde colligitur et praeterea Quirinum ut ordinarium praesidem duodecim annis serius censum egisse constat. Atqui duplex Quirini census e duplici ipsius praefectura, qua in Syria functus est, explicatur: bis autem eum Syriam tenuisse diserte in inscriptione Tiburtina, quippe quae summa cum verisimilitudine ad Quirinum referatur, dicitur. Lapis autem iste repertus est anno MDCCLXIV. in agro Tiburtino et in covaedio domus Comitum de Boschiis superstite Sanclementio extitit, qui ipse quae inscriptionis verba in marmore reliqua sunt, primus publici juris fecit ¹⁾. Altera autem inscriptione, in qua Quirini etiam nomen exstat, non modo duplex ejus in Syria praefectura significatur, sed etiam census Apamenae urbis Quirini jussu factus memoratur, cui census in Palaestina actus, quem evangelium Lucae refert, haud dubie respondet. Inscriptio ista primo vulgata est ab Orsato ²⁾, deinde Muratorius ³⁾ eam recepit, unde Sanclementius ⁴⁾ eam transcripsit. Novissime

1) De vulgaris aerae emendat. lib. IV. c. 3. p. 414.

2) Marmi eruditi, opera postuma del Sertorio Orsato, colle annotaz. del Gianantonio Orsato. Padov. 1719. 4. p. 276.

3) Thesaur. inscript. t. II. Mediolan. 1740. p. DCLXX. n. 1.

4) De vulgaris aerae emendat. lib. IV. c. 4. p. 426.

Münterus ¹⁾ ad chronologiam sacram explicandam ea usus est.

Haec chronologiae sacrae subsidia e genere historico sunt. Accedunt alia e genere astronomico, de quibus singulatim Wurmius diligenter egit ²⁾. Ea autem praecipue ad definiendum annum natalem faciunt.

Atque primum cum in hunc finem intersit, Herodis tempus emortuale accurate cognitum habere; praeter alia argumenta ex historia petita nota quoque astronomica huic quaestioni solvendae praesto est. Etenim cum in ultimo Herodis morbo juvenes Judaici conspiravissent et aquilam Romanam super majorem portam templi ab Herode erectam dejecissent, Herodes Matthiam, seditionis auctorem et ejus sociorum nonnullos vivos cremari jussit, referente Josepho ³⁾, qui addit: *καὶ ἡ σελήνη δὲ τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐξέλιπεν*. Deinde etiam plures res gestae referuntur, quibus menses aliquot implentur usque ad Herodis mortem, qui brevi ante pascha obiit. Atqui lunae defectus ille, etsi Pagius ⁴⁾ et Sanclementius ⁵⁾ contradixerunt; haud dubie eclipsis vere astronomica est habenda ⁶⁾. Quae si nota erit, inde consecutio ad Herodis tempus emortuale fieri poterit. Jam in triennio illo, in quo Herodem obiisse con-

1) Stern der Weisen. p. 98. 99.

2) L. c. fasc. 1. p. 1 — 39. fasc. 2. p. 261 — 313.

3) Antiquitat. lib. XVII. c. 6. §. 4. ed. Havercamp. t. 1. p. 845.

4) Appar. chronolog. ad Annal. eccles. c. CXLII. in Mansi Appar. in Annal. eccles. Baron. p. 374.

5) De vulgaris aerae emendat. lib. III. c. 11. p. 394. col. 2.

6) Vid. Wurm. I. c. §. 16. p. 33. Ideler. Handb. der Chronol. t. II. p. 392.

stat, haece eclipses lunares Hierosolymis visibiles secundum Wurmii calculos 1) acciderunt, t. m. Hierosolym.:

a. 749. a. u. 5. a. Chr. d. 23. Mart. eclips. totalis, quantitas $21^d 35'$; medium eclips. $8^h 33'$ vesp.; duratio ecl. total. $1^h 44'$, ecl. in univers. $3^h 44'$.

— — — d. 15. Sept. eclips. totalis; quantit. $19^d 47'$; medium ecl. $10^h 49'$ vesp.; durat. ecl. total. $1^h 38'$, ecl. in univers. $3^h 38'$.

a. 750. a. u. 4. a. Chr. d. 13. Mart. eclips. partial.; quantit. $5^d 24'$; medium ecl. $3^h 4'$ matut.; durat. $2^h 33'$; ergo init. $1^h 47',5$; finis $4^h 20',5$.

Haec eclipsis ab aliis ita computata est:

a Petavio 2): init. $1^h 17'$; fin. $4^h 13'$; quantit. $6^d 3'$.

a Pingré 4): circa 1^h matutin. quantit. $4^{\frac{1}{4}}^d$.

1) L. c. p. 34.

2) Doctrin. temporum. lib. VIII. c. 13. ed. Antw. 1703. f. t. I. p. 514. Cf. Suite chronologique des éclipses observées avant le temps de J. C. in L'Art. de vérifier les dates. P. I. t. I. Paris, 1819. 8. p. 264. 265.

3) Petavii calculo usus est Playfair in tabula eclipsium ante aeram Christianam observatarum, quanquam auctorem suum non nominavit. Apud eum enim quantitas eclips. 6^d et medium eclips. $2^h 45'$ proponitur, qui numerus ipse e terminis eclipsis a Petavio computatis colligitur. Vid. Playfair, System of chronology. Edinb. 1784. fol. p. 185. — Playfairii tabulam denuo exhibuit Hales, A new analysis of chronology and geography, history and prophecy. London, 1830. 8. vol. I. p. 76.

4) Chronologie des éclipses de Soleil et de Lune qui ont été visibles sur terre depuis le pôle boréal jusque vers l'équateur,

ab Ideleri¹⁾: init. 4^h 48'; fin. 4^h 12' (t. ver.);
[d. 5. Sept. eclips. partialis, sed Hierosolymis non visibilis.]
a. 751. a. u. 3; a. Chr. Nulla eclipsis lunaris.

Hinc jam sequitur, Herodis obitum ad annum DCCLI. a. u. differri non posse. At cum ex argumentis historicis annus DCCL. inveniatur, eclipsin, quae d. XIII. Mart. accidit, eandem esse, quam Josephus memoravit, chronologi statuerunt²⁾. Quod concinnum foret, nisi longiori intervallo usque ad Herodis obitum opus esset. Nam cum haud dubie cum sequenti plenilunio pascha convenerit, vix tres hebdomades inter eclipsin et regis obitum interessent: quod tempus minime satisfacit; nam Ideleri explicatio mihi difficultatem solvere non videtur. Sed nescio, cur non ad eclipsin praecedentem recedamus, eam, quae a. DCCXLIX. a. u. d. XV. Sept. accidit. Ad quam si Josephi verba referimus, tempus intermedium satis longum, attamen haud nimium accipimus, atque omnia bene quadrant. Utra autem habeatur eclipsis a Josepho memorata²⁾, omnino astronomica hac traditione annus DCCL. Herodis emortualis confirmatur.

Altera nota astronomica, quae propius ad ipsam Jesu

durant les dix siècles qui ont précédé l'ère chrétienne, in
Hist. de l'Acad. Roy. des inscript. et belles lettres. t. XLII.
Paris. 1786. p. 150. etiam in L'Art de vérifier les dates.
1819. P. I. t. I. p. 246.

1) Handbach der Chronolog. t. II. p. 392.

2) Cf. Clinton Fasti Hellenici. The civil and literary Chronology of Greece and Rome, from the CXXIV. Ol. to the death of Augustus. Oxford, 1830. 4. p. 256.

nativitatem spectat, est stella Magorum, quatenus pro aspectu non terrestri, sed astronomico et quidem pro conjunctione Jovis et Saturni habetur. In cujusmodi conjunctiones cum astrologos admodum intentos fuisse cum iisque magnas rerum humanarum mutationes copulasse constet, atque cum conjunctio illa circa initium aerae nostrae evenerit; viri docti eo inducti sunt, ut in conjunctionem illam accuratius inquirerent, nimirum quo tempore, die et hora locum habuerit.

Primus hanc sententiam Kepplerus suscepit et conjunctionis calculum instituit. Post eum res diu intacta mansit, donec nostris temporibus, Müntero provocante ex astronomis Pfaffius, Schubertus, Idelerus et Enckius aspectum illum computaverint.

Pfaffius tractatum, qui inscribitur *der Stern der drey Weisen* 1) publicavit, in quo tamen calculum ad Keppleri tabulas Rudolphinas instituit.

Schubertus accurate rem se computasse ipse ait 2); sed manuscripta ejus commentatio, quam Müntero miserat, in itinere periit 3).

Quae autem Kepplerus, Idelerus et Enckius invenerunt, hic referre juvabit.

Secundum Kepplerum 4), qui tum adhuc tabulis Pru-

1) In fine libri: *Das Licht und die Weltgegenden samt einer Abhandlung üb. Planeten-Conjunctionen und den Stern der drey Weisen.* Bamberg, 1821. p. 166. sqq.

2) *Vermischte Schriften.* t. I. p. 71.

3) Vid. Münter. *Stern der Weisen.* p. 7. not.

4) *De stella nova in pede Serpentarii.* Pragae, 1606. 4. c. XXVI. p. 134.

tenicis usus est, fuit conjunctio ter et quidem anno Juliano XXXIX. i. e. DCCXLVII. a. u. Varr.

1. circa 22. Jun. in 23° Piscium
2. Augusto in 21° —
3. Decembri in 17° —

Ex Ideleri calculo, in quo Delambri tabulis Solis, Jovis et Saturni usus est, conjunctiones ita extiterunt 1):

1. d. 20. Maji in 20° Pisc.
2. d. 27. Octbr. in 16° —
3. d. 12. Nov. in 15° —

Hos autem numeros Idelerus in recentiori suo opere chronologico 2) retractavit ibique computationem communicavit, quam Enckius instituit, Carlini tabulis Solis et Bouvardii tabulis Jovis et Saturni adhibitis. Secundum eam triplex conjunctio ita evenit:

1. d. 29. Maji in 21° Pisc.
Planetae tum ante solis ortum in oriente appa-
ruerunt. Jupiter et Saturnus in latitudine uno
tantum gradu a se distiterunt.
2. d. 1. Octbr. in 18° Pisc.
3. d. 5. Decbr. in 16° —

Haec suppeditat astronomia ad annum natalem Jesu definiendum. Minoris momenti sunt, quae ex ea ad constituendam passionis epocham deduci possunt. Nam cum defectus solis in Jesu morte eclipsis astronomica non fuerit; eclipsis illa a Phlegone memorata, quam Patres plures cum tenebratione in Jesu morte componunt, de ejus anno insuper pro-

1) Handbuch der Chronolog. t. II. p. 406. 407.

2) Lehrbuch der Chronolog. p. 428. 429.

pter lectionis varietatem multum disputatum est, huc non pertinet 1).

Contra ad passionis annum non definiendum quidem, sed aliunde definitum examinandum opus est, ut comperiat, quo anni Juliani die mensis Nisan tum inceperit. Quod initium cum circa aequinoctium vernale constitutum esset atque e prima lunae phasi penderet; opus est, ut in tempus novilunii aequinoctio illi proximi inquiratur. Cui quoque quaestioni a Wurmio satisfactum est, qui pro annis, de quibuscunque disceptari possit, i. e. a. 28—36. p. Chr. tabulam computavit, quae novilunia illa et proinde d. I. et XV. mensis Nisan indicat. Hinc tantum prodit, id quod Idelerus quoque annotavit 2), ei anno, in quem testimonia satis gravia aliunde congesta inducunt, lunae phasin non quidem praecipue favere, attamen neque contradicere.

His igitur subsidiis cum maxime in nexum inter evangelicam historiam et historiam universalem inquirendum est: comparando, conjiciendo, expendendo et concludendo. Quae res cum difficultatibus haud parvis implicata sit nec non, ubi traditio continua deest, conjecturis opus sit; maxime cavendum est, ne hypothesibus nimium tribuatur neve in earum potestatem redigamur. Verum id spectandum, ut, etsi conjecturis carere non possimus, semper accurate et probe distinguatur, qui certus disquisitionum fructus existat quidve verisimile quidem, sed nondum ex omni parte probatum sit.

1) Vid. Wurm. I. c. fasc. 2. c. 4. §. 32—35. p. 295—306.
Ideler. Handbuch der Chronol. t. II. p. 417.

2) Handbuch der Chronol. t. II. p. 422.

Quare semper critice comes et custos esto: sensus jejunus et vere historicus, veritati explorandae unice deditus, quamcunque monumenta fidei satis probatae prae se ferunt.

III.

Argumenti dispositionem delineaturi primum annum natalem spectabimus.

A. Tria certa momenta historia sacra praebet ad annum Jesu Christi natalem definiendum: duo evangelium Matthaei, unum evangelium Lucae; primum: Herodes Magnus in natiuitate Jesu etiam superstes, alterum: descriptio orbis Romani, propter quam Iosephus cum Maria Betlehemum se contulit, ubi ipso illo tempore Iesus natus est; tertium: stella Magorum, quae regem Iudaeorum recens natum iis indicavit ad eumque ipsos praevit.

Priora duo momenta e genere historico petita sunt. E primo autem ipsum quidem annum natalem definire non licet; sed quod in hac re non parvi habendum, terminus inde cognoscitur, ante quem Iesum natum esse necesse est. Et enim si evangelio Matthaei ulla fides est, Iesum Herode etiam superstite natum esse et per aliquod certe tempus post ipsum natum Herodem in vivis fuisse negari nequit. Atqui notas chronologicas, quas praesertim Iosephus multifariam praebet, expendentibus nobis persuasum erit: Herodem Magnum obiisse in prima septimana mensis Nisan anni P. J. 7410. i. e. cum in illo anno d. XV. Nisan diei XI. vel XII. Aprilis respondeat in fine Martii aut initio Aprilis anni Varr. DCCL. a. u. sive anni IV. ante Chr. n. secundum aeram vul-

garem. De ea quidem re post Sanclementium ¹⁾ nulli disceptationi locus dari potest. Itaque sequitur, Jesum certe ante Aprilem anni DCCL. a. u. natum esse, atque cum ex aera vulgari a. DCCLIV. a. u. natalis Jesu annus habeatur, id quod cum Dionysio Exiguo calculus Florentinus diserte statuit, sequitur, hanc aeram certe quinquennio a vero cardine aberrare.

Alterum momentum, quo jam ipse annus natalis definitur, est census generalis, cujus tempore Jesus natus est. Quippe Augustus postquam orbi Romano pax restitutus erat, edictum tulit, quo universum imperium Romanum censeretur in eumque finem XXviros designavit, qui in omnibus provinciis id negotium susciperent. Ex iis unus fuit Sulpicius Quirinus, qui, ut in Asia censum fecit, ita in Syriam potestate extraordinaria missus, etiam Judaeae non quidem censum proprium, sed descriptionem per Sentium Saturninum, qui tum ordinarius Syriae praeses fuit, regnante Herode Magno peregit. Hic autem Quirinus ipse ille praeses est, cujus priorem censum, quo Jesus natus sit, Lucas memorat. Atqui dum alterum Quirini in Judaea censum, quem Gamaliel apud Lucam ²⁾ tangit, anno DCCLIX — DCCLX. a. u.

1) Vid. etiam scriptor anonym. Beweis, dass Jesus wenigstens nicht später als zu Anfang des Merz 4710 Per. Jul. geboren seyn könne in Klaibers Studien der evang. Geistlichkeit Württembergs. Stuttgart, 1827. vol. I. fasc. 1. p. 50 — 72 et Wurmius, qui ipse priorem suam dubitationem posthac retractavit, Nachtrag zu den astronom. Beiträgen zur genäherthen Bestimmung des Geburts- u. Todesjahres Jesu. Ibid. fasc. 2. p. 208 — 211.

2) Actor. V, 37.

actum esse constat, priorem illam descriptionem labente anno DCCXLVII. a. u. habitam fuisse gravissimis rationibus niti-
tur. Hinc tum prodit, Jesum ipso illo anno DCCXLVII.
natum esse, septem annis ante epocham aerae vulgaris.

Atque quod faustissime evenit, haec consecutio, quae ex
argumentis historicis deducitur, ratione vel astronomica haud
leviter confirmatur: quod jam tertium momentum est. Quip-
pe admodum verisimile est, sidus, quod Magis illuxit, aspe-
ctum quendam coelestem esse, qui necessario evenit atque le-
gibus astronomicis subditus est: nimirum conjunctionem duo-
rum planetarum, quae ter anno DCCXLVII. evenit. Quodsi
secundum historiam sacram cum hoc aspectu nativitatem Je-
su conjungere licet; novum inde argumentum annum DCCXLVII.
Jesu natalicium statuendi accipimus.

Priora duo argumenta Sanclementius in doctissimo suo
opere de aerae vulgaris emendatione ita tractavit, ut ea res
absoluta habenda sit. Quanquam adversus illud opus animad-
vertas, demonstrationem ipsa mole laborare, qua acumen
conclusionum et proinde persuasionis diminuitur; ita ut et-
iamnunc talis expositio desideretur, quae etsi pleno tamne
magis coercito apparatu et concinno contractoque sermone
universam rem ad finem perducatur; — qua tamen nota ma-
gni illius chronologi laudi nihil detrachere volui. Tertium ar-
gumentum, quod primus Keplerus proposuit, nuper a Mün-
tero denuo excitatum et ab Idelero praesertim excultum est;
contradicientibus quidem Wurmio 1) et Hengstenbergio 2). Sed
ut astronomi illustris nominis, nimirum Schubertus, Schuma-

1) Nachtrag etc. in Klaibers Studien l. c. p. 212 — 217.

2) Christologie d. A. T. t. II. P. 2. p. 541. not.

cherus, Hardingius; ita etiam theologi insignes argumentum illud comprobarunt. Olshausenius quoque huic sideris Magorum interpretationi se favere confessus est ¹⁾.

B. Ad annum emortualem definiendum ex historia evangelica argumentatio quaedam, sed ea obscura et admodum in certa peti potest; quae itidem per tria momenta progreditur.

Nimirum duplici modo evangelia diem, quo Jesus passus est, significant.

Prima nota est septimanae dies. Eum evangelia ad unum consentientia feriam sextam nominant.

Altera nota est mensis Judaici dies, de quo tamen non ita constat. Nam evangelia synoptica diem XV. mensis Nisan, Joannes autem d. XIV. ejusdem mensis significare videntur. Itaque inquirendum est, num hoc discrimen aliquo modo solvi et conciliari possit; et si id fieri non possit, cui relationi major auctoritas tribuenda sit.

Hac disquisitione ad certum finem perducta, difficultas etiam major restat: quod tertium argumentationis momentum est. Postquam enim de septimanae et mensis die, quo Jesus mortem obiit, est compertum; hoc calendarii Judaici datum in calendarium Julianum transferendum et respondens annus diesque Julianus definiendus est. Haec autem quaestio experiendo solvi atque ita dividi poterit, ut primum pro eorum annorum serie, intra quos mortem Jesu evenisse constat, computetur, quinam dies diei I. mensis Nisan et proinde diei Jesu emortuali respondeat. Deinde diei ita inventi feria definienda est. Quo facto denique conspicitur, in quonam

1) Commentar. vol. I. ed. II. p. 66. not.

anno dies Jesu emortualis feria sexta fuerit et qui annus merito annus emortualis haberi possit. Altera definitio facillima quidem est, sed in prima quaestione difficultas latet. Etenim calendarium Judaicum tum temporis adhuc aliquatenus ex arbitrio, nec prorsus ad certam normam constitutum est; quapropter omnino fieri nequit, ut certo et distincto modo calendarium Judaeorum cum calendario Romanorum comparatur. Hinc fit, ut, quod supra notatum est, haec methodus non tam ad inveniendum annum emortualem, quam ad annum aliunde inventum examinandum adhiberi possit.

Scriptura sacra sufficientes notas chronologicas non praebente circumspiciendum est, an non alibi tales nobis suppeditentur. Hic autem opportune ecclesiae traditio succurrit, quae multiplici testimonio ex auctoritate vetustissimorum Patrum annum emortualem definit. Etenim ut Clemens Alex. et Julius Africanus anno XV. Tiberii Jesum passum esse statuunt; ita Tertullianus, Lactantius, Sulpicius Severus, Augustinus diserte Consules, sub quibus Christus cruciatus sit, nominant: nimirum duos Geminos, C. Fufium et L. Rubellium. Utraque nota eundem annum DCCLXXXII. a. u. sive XXIX. p. Chr. secundum aeram vulgarem significat.

Prius argumentum e scriptura sacra petatum praeter scriptores theologicos, qui quaestionem exegeticam tractarunt, praecipue Wurmii illustravit loco jam laudato. Alterum argumentum e traditione haustum Sanclementis sedulo exposuit in *Exercitatione chronologica de anno dominicae passionis* operi suo chronologico subjecta; — quem Idelerus secutus est.

C. Quodsi Jesum a. DCCXLVII. natum et a. DCCLXXXII.

passum esse statuitur; eum aetatem XXXIV. annorum et quod excedit assecutum esse sequitur. Atqui in hoc numero chronologiae externae inventa ad chronologiam internam examinari possunt: qua itidem etsi tantum praeter propter summa annorum, quos in terra Jesus vixit, definiri potest. Nam Lucas quot annos natus Jesus baptizatus sit, tradit; et Joannes festa paschalia enumerat, quae in publica sua vita Jesus egerit. At Lucas non accurate loquitur et de festorum apud Joannem numero lis est: — utrinque igitur dubitatio manet. Nihilominus id intelligitur, annorum summam, quam chronologia interna invenit, iis terminis, quos e chronologia externa prodire supra praejudicatum est, certe haud contradicere: plus autem pro harum disquisitionum indole postulari nequit.



T H E S E S.

I.

Perfectum praecedit imperfectum.

II.

Imperfectum praecedit perfectum.

III.

Tres sunt aetates mundi: ab aeterno ad lapsum, a lapsu ad apocatastin, ab apocatastasi in aeternum.

IV.

Peccati poena non caritatis, sed justitiae divinae.

V.

Generis humani unitas et qualitas identitate creatianismi et traducianismi nititur.

VI.

Cur deus homo? Ut homo deus.

VII.

Generatio Christi sensu tum pneumatico tum physiologico supernaturalis: id quod scriptura sacra docet, ratio confirmat.

VIII.

Christus non potuit peccare.

IX.

Christianus divinae mundi gubernationis particeps.

X.

Summum ethices Christianae principium: imaginem dei exsequi.

XI.

Officiorum collisio nulla.

XII.

Liberi arbitrii finis, ut se ipsum tollat.

XIII.

Schleiermacheri paragraphus ^{tertius} ~~quartus~~, qui est de definienda pietate, recte.

XIV.

Principalis in Schleiermacheriana theologiae dogmaticae definitione error in eo videtur positus esse, quod eventum cum principio commutat.

XV.

Schleiermacheriana theologiae in universum definitio in eo errat, quod eventum cum principio commutat.

XVI.

Praestat, magistrum academicum sine ullis scriptis schedis lectiones habere; sicut civem academicum non scribendo, sed duntaxat audiendo lectionibus adesse.





UNIVERSITY OF CHICAGO



57 909 587

